

Justus Christoph Schomer

**Rector Universitatis Rostochiensis Iustus Christophorus Schomerus, Doct.
Theol. ... Ad exequias, Quas ... Elisabethae Barseniae, Coniugis suae ... Ad D.
XXVIII. April. M DC LXXXVII. Parat ... viduus Vir ... Dn. Andreas Daniel
Habichhorst, S. Theol. D. ... Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos qua fas
est humanitate invitat**

Rostochi[i]: Weplingius, 1687


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746818610>


Druck Freier  Zugang




Schomer, J. C.,
in **E. B a r s e n**,
uxor. A. D. Habichhorst.
R. 1687.

77







RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JUSTUS CHRISTO-
PHORUS SCHOMERUS,



& Theol. & Profess. Publ,
Ad exeqvias,

Quas
*haec omnibus q; sui sexus Virtutibus
Conspicua Fœmine*

ELISABETHÆ
BARSENIAE,

Conjugis suæ hætenus Ivavissimæ,
nunc beato obitu extinctæ
AD D. XXVIII. APRIL. M DC LXXXVII.

Parat mœstissimus viduus

Vir Admodum Reverendus & Excellentissimus,
DN. ANDREAS DA-
NIEL HABICHHORST,

S. Theol. D. & Prof. Publ. | Celeberrimus,
*Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos
quâsas est humanitate invitât,*

Rostoch I, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.



Idistis delineatum nupere, Cives Academici, jacturæ magnitudinem, quæ in probâ conjugē est, occasione funeris, quod defunctæ uxori viduus quidam superstes parabat. In eodem argumento ut hæreamus porro, faciunt ejusdem sortis exequiæ, quas nunc primas publicè indico, postquam nudius tertius Rectionem Academiae suscepi. Causæ luctus in ejusmodi jacturâ justæ suggerantur, artificiosissimum necessitudinis vinculum,

quod inter conjuges est, & evidentissima quæ à probâ uxore marito emolumenta obveniunt. Rectè sanè: quò enim gratiora nobis sunt præsentia, eò illorum jactura est acerbior. Amoris ea natura est, ut, velis quàm proximè adhærere illi rei, in quam fertur. Nullus autem amor inter homines justus tantus est, qui excedat eum, quàm conjuges sibi invicem debent ex lege divinâ: nec levis causa monogamiæ ex ipsâ illâ amoris magnitudine petitur, qui non potest in plures dividi, quin remittat de illâ virtute & intensione summâ, quæ conjugali statui propria est. Moderatur amor ille suavissimâ quâdam dulcedine auctoritatem imperii domestici, quod marito divinitus concessum est, ne asperioribus mediis etiam rixosam & ferocientem coërceat, sed indulgentiâ & blanditiis potius salutaria monita temperantibus, quàm rigore & acerbitate animum ejus sibi studeat devincire: multò magis ut erga uxorem frugi & strenuam, quæque virtute placet vel dote etiam profuit, suavitate morum utatur, atq; omnia alia malit, quàm vitam illi apud se acerbam atq; duram reddi, quæ in thalami consortio gratam eam & jucundam invenire debebat. Comparat studium mariti erga conjugem Apostolus, cum eo, quod quisq; suo corpori atq; valetudini impendit, neq; immeritò, quandoquidem ex primâ lege connubii duos unum corpus & unam carnem civili æstimatione esse oportet, & quemadmodum corpora commiscunt, ita ea mutua curæ communia habere,

vere, dum in se ipsum statuit maritus, quod in uxorem statuit, quæ ipsius quasi portio quædam facta est. Quin amplius summum filii Dei amorem, quo ecclesiam prosequitur fide ipsi coherentem, cum amore conjugali comparat, qui arctius inter homines vinculum, quicum compararet, non habebat, cum quàm insigni cum lubentiâ maxima à Christo beneficia in ecclesiam fluant docturus, talem vocat, qualis mariti est, in uxorem quæcunq; potest beneficia conferentis. Et habet in hac comparatione juris aliquam necessitatem sibi impositam quivis maritus, ne de affectu, quem uxori debet, quicquam remittat, nisi & Christum velit de affectu erga se aliquid imminuere, à quo fervidiorem amorem quàm qui suus, mariti, est erga uxorem (si hoc emblemate Paulino standum est) jure desiderare nequit. Hinc adeò si credim, quod credidit Paulus, nos amore Christi tam vivo & constanti teneri, ne sibi nos eripi pariat, pari affectu amoris etsi non pari vi & virtute retinere velle conjugem nos decet, & ereptam majore mortis vi ægerimè dimittere. Mœrorem hunc ita probat ipse Deus, ut cum Ezechielem de morte conjugis publicè lugere singularis typi causâ prohiberet, privatum tamen doloris gemitum concederet. Hinc annuus luctus in marito etiam honestatis causâ requiri solet, quòd qui vero amore complexus est uxorem, non videatur breviori temporis ambitu dolorem amissæ lenire, vel animum ad alias nuptias applicare posse. Res periculi plena est, cum tentantur nuptiæ, multo júbilo digna, cum feliciter sunt repertæ. Quare ut optimum à Deo thesaurum invenisse dicitur Salomoni & Siracidi, qui probam conjugem invenit, ita optimo privatum esse dixeris, cui illa erepta est. Solemus omnes bona nostra tum demum rectius intelligere, cum quæ in potestate habuimus, ea amisimus: quare & quæ in bonâ conjugis jactura sit, ille, credo, optimè explicabit, cui fors adversa eum luctum imposuit. Diffusus est in laude bonæ & industriæ uxoris Regius scriptor, & singulari eam honore afficit cum ejus virtutibus sub alphabeticâ acrostichi propositis proverbiorum libellum claudit. Emolumenta, quæ inde ob-

A 2

venire

venire sacro hoc testimonio dicuntur, tanta sunt, ut in morte ejus non tantum e arere multo rem familiarem augmento oporteat, sed & imminui saepe & decrescere, custode fideli destitutam. Id quod tristis experientia sic passim comprobavit, ut aliis commentariis doceri opus non sit. Praesens ejusmodi damni sensus aecedente memoria omnis commodi, quod ex uxore quondam provenit, dolorem animi non poterit in viduo marito non adaugere & fortius accendere amissa desiderium. Quod si absque insolenti sortis oblata impatientia factum modestumque est, non nisi meritorum, quae in defuncta agnoscit superstes Conjux, testimonium est, & officium pietatis. Consideratio haec nobis nascitur in funere optimae & ab omni sexus sui virtute laudatissimae matronae, quod hodie indicimus. Cujus qui fuerint natales, educatio, conjugia, fata, virtutes multae, non aliis quam ipsius, cui hanc vicem dolemus, vidui verbis exhibemus.

Cum ego brevissimum desideratissima Conjugis vita curriculum Rectorali pro more programmati inserendum consignare ordior, dolentis certe ac amantis simul vocis initium formo. Etenim moveri animum sentio meum hinc doloris justum, illinc amoris debiti sensu, ita quidem ut dolor calamum scripturi subtrahere, amor vero retrahere conetur. Si enim ullus dolor alius (ut initialia Programmatum nuperi Rectoralis verba & mea faciam & expertus verissima contestor) sane qui ex denata frugi Conjugis nascitur justissimus est, adeo quidem ut triplici circa pectus aere rigidum & ab omni humanitate, multo magis vero amoris conjugalis sinceritate alienissimum hominem merito dixeris suo, qui serena mente, exporrecta fronte siccisque oculis vitam Sociam maritali fide optimè meritam ex hac mortalitate dimiserit. Et hic ipse igitur dolor vix permittit scribendo per defuncta Conjugis curriculum pertextere amissumque conjugii thesaurum recolare. In hac tamen pugna dolorem vincit amor, qui ceteroqui omnia vincit, ac memoriam fidelissima pietissimaque Conjugis scribendo recolare committit. Dolori tamen tribuatur velim, si non passim convenienti satis scriptis

scriptione utar; amori vero, si quando dulcissima quondam Con-
jugis vitam morbumque commemorando, excedere videar,
 Nata vero ipsa est Conjux mea **ELISABETHA BARSE-**
NIA, *Fœmina dum viveret Nobilissima, pietissima suiq; sexus*
singulare decus & Speculum, Hamburgi A.C. 1639. d. 9. Aug. (si
fides habenda effigiei ejus fuerit, in qua certe priori Marito cu-
rante numerus hic legendus exhibetur: aliàs enim multi cer-
tè qui faciem, qui agilitatem, qui florem ejus respexerunt, Fœ-
minam annorum non 26. sed modo 36. crediderunt) Parens
ejus fuit vir quondam Nobilissimus, Ampliss. & Consultiss.
Dn. GEORGIUS BARSENIUS, J. U. D. & Causarum, ap.
Hamburg. Patronus curatissimus, nec non S. Reg. Maj. Svec. ibi-
dem Inspector Cathedralis longè fidelissimus, Musarum & mi-
serorum Evergeta munificus, qui filius fuit Viri Clarissimi Hu-
manissimiq; Dn. GEORGHII BARSENI, Scholæ Johanneæ ap.
Hamb. Collegæ optimè meriti, & Nepos Viri perquam Rev.
Clarissimiq; Dn. CHRISTOPHORI BARSENI, Ecclesiæ Ize-
hoensis in Hols. Pastoris vicinarumq; Præpositi vigilantissimi;
Proueposq; Viri Pl. Rev. Ampliss. Dn. GEORGHII BARSENI,
Concionatoris quondam Regii Aulici Hassniensis, qui adeo p. de-
functæ Conjugis Abavus fuit paternus. Mater vero Nostræ erat
Fœmina quondam Nobilissima omnibusq; virtutibus fœminis
decoratissima, ELISABETHA Renzels (ex præcipua Renzelio-
rum ap. Hamb. florentium familia. Ejusdem enim Parens no-
stræq; avus maternus fuit Vir Spectatissimus Dn. JOACHI-
MUS Renzel/ prædiorum quorundam inclytæ Hamburg. Reip.
Præfectus vel Inspector meritissimus, cujus Parens (si rectè rela-
tum memini) ibidem ex ordine fuit Senatorio & Patruelles ejus
non ita pridem Hamburgi floruerunt & hodiènum ibid. reful-
gent; ex quibus ego affectus & honoris causa non possum non
b. l. nobilissimam Fratrum trigam commemorare, nempe B. Dn.
PETRUM RENZELIUM, J. U. L. & Senatorem gradissimum,
nec non Dn. HERMANNUM Renzel/ ibid. ex XII. Viris,
 A 3 (Germ.

(Germ. *Ser-Allen*) *præcipuum*, *Ædisq;* *Cathar. primaria Præ-*
fectum æstimatissimum, *Affinem quondam*, *Compatriã & Ever-*
getam desideratissimum, à *beneficentia erga egenos*, *quippe quos*
non tantum vivus, *sed & nuper moriens divitiis usq;* *suis in-*
comparabiliter refecit, *commendatissimum*: *ut & Dn. HENRI-*
CUM Mengel/Patricium ibid. gravissimum, *Affinem & Compatri-*
tem honoratissimum, *familiam hodiernum præclare exornan-*
tem. Avia vero materna p. defuncta erat scæmina virtuosiss-
ma ELISABETHA Lueßen / filia Viri spectatissimi Dn. WE-
THE Lueßen/Mercatoris quondam ap. Hamb. pollentissimi, *cu-*
jus nepotes ex Filio, *Avia jam laudata germano fratre, Viri*
maximè conspicui præstantissimiq; *Dn. JOHANNES & Dn.*
HERMANNUS Lueßen / Affines mei ac Fautores plurimum
colendi, *hodiernum ibid. amplissimam exercent mercatu-*
ram, *quorum certè matrem*, *Matronam honoratissimam*
pietissimamq; *DOROTHEAM Schwelands / ex familia*
longè amplissima oriundum, *ego & beata conjux mea tanquam*
matrem beneficam, *dum viveret*, *observare non pigrabamur.*
His parentibus & Majoribus honoratissimis æstimatissimisq;
(quos, præteritis longè pluribus, breviter saltim recensere licuit;
reliquorum enim nomina nec à beata Conjuge mihi sunt relata,
nec à propinquis communicata, cum Hamb. non adeo recensean-
tur genealogia: quanquam honestum est ac laude dignum ma-
jores, præsertim virtutibus meritisq; *conspicuos, decenter com-*
memorare, ut posterì ipsorum vestigia sibi proponant legenda)
his inquam Parentibus ac majoribus quemadmodum Nostra
sanguinem ita & indolem traxit satis probam. Alabe tamen
originali, uti nemo mortalium, ita nec ipsa fuit immunis:
unde mox per Baptismum abluta cætuq; *Christianorum coopta-*
ta, ab incunte statim ætate Parentum, præcipueq; *dexterrimè à*
piæ Matris curâ pietatis aliarumq; *Virtutum, sexum Virginal-*
em decentium, semina maturius imbibisse earumq; *exercitia*
coluisse fertur, cumq; *Mater citius opinione, eadem qua p. defuncta*

conjugi etate mortalitatem exuisset, una cum duabus Sororibus natu majoribus, provida Parentis Vidui cura probe educata perhibetur, quippe qui nihil intermisit eorum, quae ad educationem facere honestam laudabilemque viderentur. Cumque duae sorores jam elocatae essent & prima quidem nupsisset Viro Pl. Rever. Dn. M. JOHANNI WESTPHALIO, tunc Canonico Bardovicensi, nunc etiam Ecclesiae ibid. Cathedr. dignissimo meritissimoque, Affini & Amico meo Fratris loco singulariter dilecto & colendo; altera vero Canonico Havelbergensi (cujus jam defuncti nomen nunc non recordor) hodie Conjugi Dn. PHILIPPI ZEISINGII, Juris Pract. solertissimi) ipsa minor nostra Viduo Parenti suo aliquot annos singulari fuit solatio in rebus domesticis auxilio, quam adeo propter singularitatem suam, qua Parentem prosequuta praecipue fuit, observantiam & fidelitatem in Dispositione sua inter Liberos, mirum profecto in modum (prout literae hodiernae ap. me testantur) predicavit ei benedictionem divinam annuntiavit. Licet autem virtutis & pulchritudinis ejus, tam externa quam interna radiis inducti aliquot Viri. Juvenes, cum nobilis, tum ignobiles, nuptias ejus honeste ambirent, duci tamen nondum voluit, donec tandem A. 1663. mense Febr. (eodem certe anno ac mense, quo hanc ipsam Theologicam, qua hodie fungor, spartam, Serenissimus Dux Meckelb. DN. CHRISTIANUS LUDOVICUS, Princeps meus clementissimus, Büzovii in Civitate mea Patria, ex singulari gratia primitus mihi decernebat) volente sic Dn. Parente suo eandem sibi desponderet & seq. II. Maji domum duceret Vir Nobiliss. & Consuliss. Dn. JOACHIMUS HENSENIUS, J. U. D. & Causarum patronus ap. Luneb. laudatissimus, cum quo per septennium & quod excurret conjugium habuit prolificum: siquidem hoc septennio quing. ipsi peperit liberos 1. GEORGIUM, 2. JOHANNEM AUGUSTUM, 3. DANIELEM GOTOFREDUM, 4. ANNAM ELISABETHAM, 5. JOACHIMUM. ex quibus vero tertius A. 1667. quo natus est, rursus

sus fuit devotus: primus per quadriennium jam (uti secundus antehac per biennium) Scholæ Luneburg. patriæ ad S. Michaelem Alumni, ibidemq; Cœnobio addicti, ita ut spes mihi nascat, fore ut primus, nempe **GEORGIUS**, circa festum Michae-
lis Academico ap. nos Albo nomen sit professurus Phil. & Theol. Studiosus, nisi fors Bibliothecæ pb. Parentis Jcti motus juri operæ sit daturus. Duo v. posteriores hîc presentes in speratum fidelissima dexterrimaq; matris obitum acerbè mecum meritòq; lu-
gent A. 1667. cum priori conjugè Luneburgogvidem Otterndorffin Hadelia, Soceri Patriæ, Amicorum svasu, lautiozem ibi condi-
tionem intendentium, abibat; sed defuncto seqv. A. Parente suo longè dulcissimo, Hamburgû unà cum Marito & suppellectili redibat, ibiq; domum B. Parentis inter septem postremò constru-
ctam per aliquem temporis tractum inhabitabat. Tandem vero rebus ibi post in speratum parentis obitum utcumq; com-
positis Luneburgû reversa, duos adhuc liberos posteriores & ulti-
mum quidem Patris cognominem, quarto ante ipsius obitum mense, fuit enixa. Non dubium fuisset, si diutius mortaliun-
societati inter fuisset Maritus, quin præcipua cuidam functio-
ni ap. Luneburg. quippe Cives suos, fuisset præstituendus; Vir pietate & causarum patrociniò satis clarus ceterum, Deo ali-
ter longè, quàm proponimus, res disponente, seq. A. 1670. 8. Nov;
spe citius suo acerbissimam viduitatis sortem per triennium piè & patienter degustavit: Licet enim. Cecundo statim Vidui-
tatis anno tertiiq; principio Viri offerrentur, singulari ejus vir-
tute illecti, viri inquam Reverendi, Consultissimi Prudentissimi,
secunda ejus vota honeste expetentes, nondum tamen ad secun-
dum adduci conjugium potuit, donec ego, proxeneta viro Nobilissimo Dn. LAUR. BILDERBE QVIO, tunc J. U. L. & Rev. Cap. Hamburg. Secretario, debinc D. & Vicariorum ibid. Decano, Affi-
nitate mihi juncto, & b. Conjugis ad litem curatore Hamb. A. 1673 nuptias ejus ambirem; cū enim ipsa Hamburgû concederet, lau-
dato

dato jam Curatore suo de conjugio sibi denuo ap. Luneb. oblato
consultura, eidemq; de nuptiis ibid. quoq; mihi, eodem autore, per
p. de functam procurandis relatura, DEO mox ita volente (quod
mirari profecto liceat) factum est, ut ipsa omnem prater utri-
usq; opinionem, sine longiori ambagine, consultis tamen DEO &
propinquis Hamb. mihi, t. t. S. Theol. Lic. ejusq; P. P. designato,
nec non Oratoria Historiarumq; Ordin. lubentissimè nuberet,
nuptiasq; d. 31. Aug. 1670. s. v. a. fore Viro supra memorato ambitas,
seq. tertio Sept. die promitteret, easq; seq. 7. Sept. die Luneb.
praesentibus propinquis Luneb. & Bardovicensibus, praesertim So-
rore natu majore ejusq; Marito Pl. Rev. Dn. M. WESTPHALIO,
Eccl. Bardov. Symmysta & Canonico, ejusq; (si rectè memini)
Fratre, Dn. JOH. HERMANNO BARSENIO, ibid. quoq;
Canonico, etiamnum superstite, confirmaret, & seq. 25. Sept.
Hamb. interveniente Sacerdotali benedictione, per virum lon-
gè gravissimum maximq; Rev. Dn. D. CASP. MAURITIUM,
quondam hic Theol. P. P. Past. Mar. & Superint, tunc Pastorem
ap. Hamb. Jac. Fautorem meum, dum viveret, magnum, admini-
stratà consummaret. His ibidem ritè consummatis, Luneburgū
cum novella conjugereversus, per aliquot Menses ibid. commo-
rari rebusq; ejus componendis immorari cogebat. Sequenti v.
4. 1674. Roslochium ipsa mecum ingressa, mox seq. 6 Julii Mense
primum mihi filium feliciter hic enixa est, nempe GEORGI-
UM DANIELEM, optimi certè ingenii speiq; puerum, qui
quinto iam aetatis anno post literas Germanicas latinasq;, etiam
Graecas pariter ac Ebraeas benè legebat, hodièq; sedulè tractat.
Cumque seqv. Anno 1675. mense Jun. Hamburgum in Pa-
triam ad expediendas res suas mecum abiret, adversitatem ibi
creavit tum adversa valetudo, qua per 6. omnino septima-
nas me ita lecto affixit, ut spes restitutionis fere nulla superes-
set, tum Antagoniste res ejus hereditarias prementis & redi-
tum ad nostros praevalentis molimina.

B

mora

mora nobis ita ibid. necebatantur, accidit ut eodem A. 1675. 6.
Nov. (decumbente hic lethaliter primogenito meo, sed per Dei
gratiam providamq; Nobiliss. Dn. D. STOKMANNI, tunc vi-
cini, medicinam, ejusq; Conjugis svariissima curam, quippe que
ipsummet ex baptismo susceperat, nobis licet absentibus, re-
stituto) ipsa Hamburgi secundogenitum feliciter pareret, nempe
JOHANNEM HENRICUM, cui ibid. ante abitum nostrum,
presentibus Poëtis duobus, Vir Nobil. & Celeberrimus Dn. PHI-
LIPPUS à ZESEN, Com. Pal. Cæs. ex singulari in me, Societati
sua adscriptum, Conjugisq; mea Parentem supra laudatum affe-
cti, quippe cujus beneficentiam in juvenilibus ipse annis erat
tunc Phil. Magister expertus, lauream in cunis jam destina-
bat, hac conditione, si partes quondam Poeta impleverit, Deinde
Rostochium, rebus utcumq; expeditis mecum reversa, totam se-
se Deo & pietatis studio mancipavit, simulq; informationi-
bus in solida pietatis fideiq; fundamento, quas subinde me
poscebat, exercitata, nihil in votis habebat magis, quam Tempora
frequenter & sacras legere scripturas, Deo preces incessanter
offerre, totamq; adeo Deo se dicare. Dehinc vero persecutio-
nibus meis A. 1677. hic maxime auctis Mense Febr. denuo me fe-
lici partu, & filia quidem AGNETÆ ELISABETHÆ, utri-
usque Avie nomen recoletis, puella tunc quidem debilis,
nunc vero pulchre adolescentis, refecit, qua una cum biga fra-
trum Germanorū jam dictorum vitali vescitur aura & prama-
tura matris dulcissima fata desset, reliquis filiabus binis, quas
seq. An. 1678. Mens. Oct. & 30. M. i. Majo fecunda mater
addidit, seva morte, & illā quidem MARIA MAGDA-
LENA eodē Anno seq. Mense Nov. hac v. CATHARINA DO-
ROTHEA seq. A. 1681. m. Julio in ipsa infantia citius abreptis,
quarum fata licet matura patienter pia mater inter alias
crucis molestias ferebat. Quam illa ceteroqui & mei Conjugis
(quem certe efflicti, prout omnibus constat, amabat) studiosissi-
ma

ma, & liberorum in pietate educandorum amantissima, in expediendis rebus domesticis solertissima, nitore & munditiei avidissima, erga quosvis admiranda humilitatis, erga miseros misericordia singularis fuerit, fama plus jam locuta, quam calamus recensere potis est. Reliquam vita partem si inspiciam, permulta se offerent, quae commendationem non vulgarem merentur. Pietatem certe veram & singularem sine furo ad finem usque, non exteriori tantum animi affectu, timore DOMINI & fiducia vere filiali, sed externo pariter opere studiosissime, ceu exemplar & speculum, quod non tantum nobilioris, sed & sequioris praecipue sexus homines, vanitatibus & fastuicis scandalo inferiorum dedita intueantur, exercebat. Hinc publicis Ecclesiae cœtibus nunquam nisi morbo graviori praepedita absuit, quin saepius agrotans lecto surrexit & ad Templum properavit, agrotæ quoque non raro reversa lectum repercit, non nunquam tamen incolumis reversa fuit. Tanto enim verbi cœlestis amore flagrabat, tanto cognitionis rerum spiritualium, cognitionem Dei promoventium animæq; divitias augmentium desiderio tenebatur, ut nihil crebrius in ore quam hoc votum haberet: Ach GOTT mache mich an meiner Seelen reich! so hab ich gungere. imò & tanto ardore se suosq; Deo commendandi & preces eidem dedicandi studio clarebat, ut non tantum sacra domi biblia aliosq; libros pietati commodantes certis diei horis legeret ac informationem frequenter se posceret, sed & horas precationum publicarum, licet vel jam maxime in aede S. Crucis concioni interfuisset, constantes neglectis planè rebus aliis vel maxime praesentiam ejus poscentibus, visitaret, adeoq; tanquam altera Maria meliorem usq; partem eligeret. S. quoq; Synaxi praemissis longo tempore precibus penitentiam promoventibus devoto pectore summatim animi contritione usa fuit, quoties ipsa res postulavit. Quam fideliter & constanter me maritum (hanc enim materiam reassumere amor jubet Maritalis) rebus quoq; adversis complexa fuerit, quam ægerimè tulerit, si quando non voluptatis sed negotiorum causa domo abesse sum coactus, non est quod prolixè hic enarrem: restatur id constans animorum conjunctio. Unde profecto factum, ut non raro comitem sese itineris offerret, ut tanto-


maïorem meâ curam gerere quiret. Nuperrimè etiam, cum
Luneburgum & inde Cellam & Guelpherbyrum, & hinc Lipsiam, Prâ-
gam Viennamq; proficisci tenerer, à latere divelli meo non planè vo-
luit. Tandem v. rebus Cella & Guelpherbyti sub finem Anni 1685, ex-
peditis, me longius abiturum, DEUS bone! quantis dimittebat suspi-
riis? Quantaq; sollicitudine correpta fuerit, cum semel per duas sal-
tem tresve septimanas literis destitueretur omnino meis, non
mea quidem singulis hebdomadibus scribentis, sed tabellariorum cul-
pa, dici vix potest. Qua pietate liberos ad preces, dato campana
signo, neglectis omnibus omnino rebus aliis, ter quotidie adegeris
inq; timore Domini educaverit, commemorare pluribus super sedeo.
Cum a. nemo sit hac in vita perfectus nec sine crimine vivat, ipsa
quoq; navos subinde suos agnovit atq; ut peccata ignoscerentur, quo-
tidianis omnino precibus, præcipuè v. ad Cenam accessura Domi-
nicam, DEUM singulari devotionis humilitate rogitavit, quam
certè non tantùm genuum flexione sed & vultus corporisq; prostra-
tione ex eo potissimum tempore testabatur, quo ego Viennâ rever-
su singulares Pontificiorum devotiones & humilitates inter præcan-
dum exercitas, adhibita quamvis cantela, predicabam. Hu ve-
rò aliisque nominibus merito illâ magnoque amore amplexus, nihil
in votis habui magis, quàm ut diutius vixisset, meq; ipsum vivendo
superasset. Verùm aliter longè summo rerum arbitro visum esse
patescit, aliter quoque ipsa optavit, scilicet ne moriendo se prave-
nem, sæpiusque prædixit, mortem sibi instare. Unde & per sexen-
nium præcipuè, circa tertiam omnino horam pom. & decimam ve-
spertinam mortalitatis memor cantilenis *HEIN Jesu Christ
wahr Mensch und Gott!* item: *Für deinem Thron tret ich hiemsel*
interjectis precibus suspiriisque, ad beatam analysin se preparavit.
Quod ergo in votis habuit, hæc citius mea impetravit. Mortem vero
anteambulo morbus corporisque infirmitas subinde prænuñcia-
vit. Sæpius enim febrî quadam circa vesperam cori ipsi solebat,
qua tamen sine ullo medicine adjumento mox remittebat, ita ut seq-
mane dato campana signo, languida licet, surgeret sacriq; inter-
esse gauderet, sæpe etiam reversa lectum repeteret. Tandem vero
proh dolor! die Veneris Dominicam præcedente Palmarum, qua 18
erat


erat Martii, donuo circa vesperam, cum jam accumbere vellet,
 febris longè ardentiori vel acuta impetebatur, qua per totam omnino
 noctem, quam ego in ipsius gratiam insonnem ducebam, miserè
 ipsam tractabat & sequ. etiam sabb. die, quamvis non tam ardentem,
 continuabat. Nihil tamen agrius me habebat, quam quod pro-
 pter Diss. Theol. publicà à memet eordie habendam abesse tenere. Domū
 vero reversus, remisisse febrem cibos, & potu licet parciore refectam
 fuisse decumbentem planè gaudebam, sed nihilominus ad Nobiliss. Dn.
 D. PAUL. JOACH. STOCKMANMUM, Medicum experientissimum:
 eodem die mittebam, rogatum, ut aegrotā haut gravatim adstaret.
 Ingruente vero vespera febris recurrebat ardentior, & omnem ferme
 requiem tam conjugii quam mihi operam ipsimet navanti derogabat,
 Igitur vix orio seq. Palmarum Dominica sole pramemoratum Dn.
 Medicum advocari curabam, qui etiam pro sua in nos lubentia cir-
 ca octavam matutinam presso, cognitā rectius aegritudinis ratio-
 ne, medicinam ordinabat, quam & aegrotā præter morem luben-
 tissimè jam admittebat, simulque per totum ferè diē illum Dominicum,
 pro more suo precibus & cantionibus, quantum licebat, me simul ad-
 stante vacabat. Sequenti vero nocte cum febris nonnihil cessaret,
 licet pleuritis illam incommodaret, per unam alteramque horam
 somno resciebat. Unde & Nobiliss. Dn. Medico, cum seq. die Lu-
 na rediret, vix aegrotā videbatur, pleuritidi tamen nova opponebat
 remediā. Approperabat jam quarta morbi vespera, cum mihi ne
 & quartam cum ipsa noctem sine somno transigerem auter esset:
 morem quidem gerebam, sed post unius alteriusve hora somnum evi-
 gilanti & aegrotantis curam gesturo tentationem narrabat, cui
 quidem obnoxia præcedentibus fuerit horis, sed eadem jam supe-
 ratā dicebat: Das Urtheil ist gefallen / ich bin ein Gnaden-Kind.
 Igitur somnum ipsi studebam conciliare, sed frustra, Nihilomi-
 nus seq. Martii die rerum quoque domesticarum curam non omni-
 no nullam, licet lecto maneret affixa, gerebat, sed post meridiem in
 hac verba erumpebat: Ich werde in dieser Stillen-Woche mit mei-
 nem JESU ein rechte Marter-Woche haben / am Oster-Tag aber
 durch Gottes Gnade mit ihm im Himmel Osern halten / und mit
 allen Auserwehltten das Heilig anstimmen. Ich will mich aber am
 Stillen


fillet. Freytag unter seinem Creutz nieder werffen und aus seinen
Wunden Heil für meine Seel schöpffen. Quibus vero verbis postero-
ribus S. Cene usum dicto die repetendum intendebat, eademque
verba seq. etiam Mercurii die ad alias repetebat & promittitudinem
suam ad moriendum, inter suspiria & sermones, vivam omnino fidem
& spem signantes, pluribus exponebat: circa vesperam hujus Mer-
curii diei prospectum est, ne forte obstructio noceret; inde cibo
etiam, quem per dies aliquot fastidiverat cum appetitu singu-
lari capiebat somnoq; ad usq; i. me unà nonnihil dormiente reficie-
batur. Evigilantem vero infirmam magis ex sermone & gesti-
bus deprehendebam; nihilominus à me verbis excepta sat amabilibus
post horam denuo quiescebat, & tunc per vices vigilans & re-
quiescens, interfectis sermonibus omnino pius de morte & sepultura
ap. Avos meos maternos Wismaria sibi curanda alijsq; noctem con-
sumebat, cumq; interrogarem, cur non Hamburgi in monumento
potius paterno quiescere vellet, respondit, se cum conjugē, cui in vita
adhaeserat, in morte etiam vel sepultura conjungi malle: audiverac
enim me Wismaria aliquando dormitutum esse. Igitur promitte-
bam, me desiderio tam huic, quam alijs tunc propositis ut deferatur, fi-
deliter, etiam post mortem ejus minimè sperandā, curaturum. Summo
deinceps mane tenui rursus cibo utebatur, non neglectis medicina-
libus, praesertim confortativis denuo praescriptis. & ipso Jovis s. viri-
dium die denuo quiesci cibosq; tam antequam post meridiem locus erat,
ita ut vires resumisse & restituenta videretur. Unde ne à quoquam
turbaretur alloquus, cavebam. Sed cheu post somnum requiemq; pejus
habere deprehendebatur: hinc pium de cæna Dominica die viridium
anticipanda desiderium ejus repetebam, consultius magis imò
& tempori conveniens ratus, si praesente viridium die sacro refice-
retur epulo cum hodiernus praestaret crastino, nec sciremus quid cra-
stinus crucifixionis Christi dies esset laturus, nec melius sed pejus sem-
per haberet. Ipsa igitur annuente circa sextam mox vesp. dicto viri-
dium die vocabatur Vir. Pl. Rev. & Praecellentiss. Dn. SIMON HEN-
NINGIUS, Archidiaconus, Cathedr. dexterrimus, Confessionarius noster
amantissimus, & Fautor singularis, qui statim ac veniret in memori-
am ipsi nuperrimum S. corporis sanguinisque Dominici epulam, quo
Do-


Dominicâ Oculi publicè fuerat usa, revocabat & discursu à tempo-
re passionis Dominica, sumto, devotionem ejus superius memoratam,
commodè satis alebat & confessionis loco auditis quibusdam Scriptu-
rae locis, ceteroqui suspiriis ejus quotidianis: Habe deine Lust an dem
HERRN / der wird etc. Die Angst meines Herzens etc. und vergib mir
alle meine Sünde! Siehe das meiner Feinde etc. **HERR JESU**
dir leb ich etc. desiderio ejus deferebat. Post Eucharistia usum piissi-
mos cum Viduis quibusdam vicinis de passione & morte sibimet in-
stante aliisq; apprimè huc facientibus sermones miscebat, iisq; tan-
ta simul commotione valedicebat, ut in profusissimas mox lacrymas
resolverentur. Adhæc illam febris ferè continuâ nimio opere debi-
litari videns, accersitis ordine duobus Privignis, presentibus, meis-
que tribus ex eadem mihi natis, autor eram, ut prævia gratiarum
actione pro omni fidelitate materna sibi præstita in eventum valeo
dicerent: Quibus contrâ singulis ordine auditis benedictionem im-
pertiebatur. Similiter & mihi ex Num. 6. acclamabat & post voces
ultimas: und gebe dir Friede! pacem quoque externam memorabili-
bus planè verbis, hic non allegandis, optabat. Dehinc cum sex omni-
no noctes, ipsa sic volente, solus ego agrotanti vigilando & ministrando
singulari in ipsam affectu operâ navassem, ne quid instante jam nocte
negligeretur, invitâ ferè ipsâ, alias advocabam unâ mecum vigilaturas,
interea vero precibus illa & cantionibus ante mediâ noctem me assiden-
te vacabat, quas inter præminebant: **HERR Jesu** Christ wahr Mensch
und Gott etc. Herzlich lieb hab ich dich O **HERRN** etc. Finitâ verò
noctè circa initium diei Parasce. & crucifixionis Dominica passio-
nes quoq; ejus mirum in modum crescebant, ut verè ab ipsa præ-
dictam experiremur, Ich werde mit meinem Jesu eine rechte Marter-
Woche haben! adeo quidem ut lassus curâ fessusq; per septem dies to-
tidemq; noctes, patienti amplius ad stare ejusq; intueri dolores vix
valerem, cum interna jam epilepsia signa viderentur observa-
ri. Sublevabat me præsentia tum Matronarum pientissimarum,
tum Experientissimi Dni, Medici, tum Reverendi Pl. Dni Confessi-
onarii, ante concionem præcipuam accedentium, tum quoque Pl. Rev
& Ampliff. Dn. M. **HENRICI CARMOHNII**, Pastoris Cathedr.
meritissimi, Compatrii nostri honoratissimi, post concionem ex sug-
gestu appropinquanti & singularem suum dolorem, de insperato pia
Gen-

*Conjugis morbo; qua decus fuerit Ecclesia, viduamque Spiritus S.
 templam, licet verbum tunc proferret nullum, contestabatur, inq;
 laudes ejus singulares ora resolvebat. His vero abeuntibus epi-
 lepsia pedecentim à dextris agrotam nonnihil affligebat; eadem
 vero per vices remittente, sermones proferbat fide plenissimos. Cum
 aliquando hoc parasceves die tacens omnino jaceret ac interrogaretur
 quid cogitaret, piè respondit: Gedencken will ich an deinen Tod etc.
 die werden mich erhalten/ qua verba tanquam anchoram diu retine-
 bat. Cum admoneretur, ne dolores impatienter ferret, regessi: und
 ob es währt biß in die Nacht etc. Inter alia longè plura nunc prater-
 unda addebat: Ach wann werd ich ins Himlische Hochzeit-Haus gehn
 Wie verlangt mich so hergl. darnach! ipsaq; respondit: Morgen/ mor-
 gen/ innuens sequentem Sabbathi diem. Paulò post agebat: Ach
 wer wird mir die Himmls Thür auffihun/ wie ist der Weg so schmal?
 Respondebatur: JESU durch seinen Todt und Blut. Prohibeor sanè
 cum dolore, tum spatio & tempore (nam ipso exequiarum die hac
 scribo) quo minus cæpta pertexam. Instante a vespèrà, cum epi-
 lepsià fortius jam à dextris tangeretur, dolores clamoribus quidem
 prodebat, sed eadem rursus cessante, ad devotiones precesq; redibat;
 & sanè qua ultima nocte, me ipso doloribus & vigiliis jam fatigato
 & decumbente, ipsimet operam fideliter navabant, predicare sa-
 tis devotiones & constantiam ejus non potuerunt tandemque
 alimò dixisse retulerunt, HERR JESU dir leb ich etc. mach
 mich Gerecht und Seelig. Instante v. Sabbathi die, Paschatos profe-
 so, circa quartam à sinistris quoq; epilepsià tangebatur, qua eben! in
 eum adducta est statim, ut post octavam matut. Servatori suo JESU
 animam reddens (trepidat manu hac referre conata) ingens sui de-
 siderium piis omnibus, liberis, mihig; præcipuè conjugii conjux tribu-
 lationum socia plane fidelis reliquerit. Videtis hic, Cives Acade-
 mici, quæ satis prolixè de vitâ & morte desideratissimæ conju-
 gis commentari voluit positus in acerbo luctu adm. Rev. viduus,
 quæ quia festinantium typhothetarum utramq; manum jam fa-
 tis lassarunt, breviorum meum epilogum requirunt, quo ut fre-
 quente comitatu funus hodie efferendū deducatis, humanissi-
 mè vos oro atq; invito. Date hoc solatio viri, date collegio Pro-
 fessionis, datæ pietati humanitatiq; vestræ, ut ultimum hoc ho-
 noris officium defunctæ exhibeatis, ad quod conventus fiet
 in æde Jacobea, horâ i. pomerid. P.P. Sub Sigillo Universit.
 d. 28. Aprilis 1687.*









Dominica Oculi publicè fuerat usa, revocabat & di-
 re passionis Dominica, sumto, devotionem ejus superius
 commodè satis alebat & confessionis loco auditis quibus
 ra locis, ceteroqui suspiriis ejus quotidianis: Habe de
 Herrn / der wird etc. Die Angst meines Herrgens etc.
 alle meine Sünde! Siehe das meiner Feinde etc. D
 dir leb ich etc. desiderio ejus deferebat. Post Euchar-
 mos cum Viduis quibusdam vicinis de passione & m-
 stante aliisq; apprimè huc facientibus sermones misce-
 ra simul commotione valedicebat, ut in profusissimas
 resolverentur. Adhuc illam febriferè continuâ n-
 litari videns, accersitis ordine duobus Privignis pr-
 que tribus ex eadem mihi natis, autor eram, ut pra-
 actione pro omni fidelitate materna sibi praestita in-
 dicerent: Quibus contra singulis ordine auditis be-
 pertiebatur. Similiter & mihi ex Num. 6. acclama-
 ultimas: und gebe dir Friede! pacem quoque externa-
 bus planè verbis, hic non allegandis, optabat. De hin-
 no noctes, ipsa sic volente, solus ego aegrotanti vigilans
 singulari in ipsum affectu operâ navassem, ne quid in-
 negligeretur, invitâ ferè ipsâ, alias advocabam unâ m-
 interea vero precibus illa & cantionibus ante mediâ ne-
 te vacabat, quas inter præminebant: **HERR** Jesu
 und **G**ott etc. Herrlich lieb hab ich dich **D** **HERR**
 nobis circa initium diei Parasce. & crucifixionis **D**
 nes quoq; ejus mirum in modum crescebant, ut v-
 dictum experiremur, Ich werde mit meinem Jesu ei-
 Woche haben! adeo quidem ut lassus curâ fessusq; per
 idemq; noctes, patienti amplius adstare ejusq; in-
 valerem, cum interna jam epilepsia signa vidi-
 ri. Sublevabat me presentia tum Matronarum
 tum Experientissimi Dni, Medici, tum Rererendi
 onarii, ante concionem præcipuam accedentium, tum
 & Ampliss. Dn. M. HENRICI CARMOHNII, p-
 meritissimi, Compatrii nostri honoratissimi, post
 gestu appropiantis & singularem suum dolorem

